

participant naturam specierum, quod non est antequam sint in actu. » Igitur in hac repræsentatione specierum considerandum est, quod naturæ non repræsentantur in illis quomodocumque, sed prout descendunt, et derivantur ab ideis divinis, et participant naturam speciei, non solum in prædicando, sed in descendendo, et participando esse effective a Deo, a quo naturæ derivantur in aliquibus individuis, sed non in omnibus simul, sed successive. Et ideo species quæ derivantur a talibus ideis divinis accipiunt vim repræsentandi naturas cum successione individuorum; et sic ex vi suæ repræsentationis, quatenus derivantur ab ideis divinis non solum ut sunt in se, sed ut operantur in hoc universo, petunt repræsentare individua, quando sunt in universo producta ab ipsis ideis, non quando non sunt, et hoc non per aliquam variationem speciei quasi formalem et in sua formali repræsentatione, sed per aliquam mutationem modalem, quatenus ipsa repræsentatio ex vi suæ repræsentationis derivatæ ab ideis applicatur ad repræsentandum hoc vel illud individuum in particulari, juxta quod ab ipsis ideis descendit, et producitur, quæ variatio, et applicatio non fit ab ipso objecto ad extra posito effective, sed ab ideis divinis ex vi prioris infusionis, et derivationis specierum, ab objecto autem solum terminative, et ut a quodam requisito, seu potius consecuto ex ipsa derivatione ab ideis, ut species sic determinate, et applicate pro isto, vel illo individuo in singulari. Explico singula ex doctrina D. Thomæ.

XVIII. In primis certum est, species Angelorum non repræsentare rem aliquam, nisi prout pertinet ad hoc universum, et participat in eo naturam, et esse ab ideis divinis.

Certum etiam est species angelicas non esse similitudines derivatas ab objectis ad mentem Angeli, sed derivatas ab ideis divinis ut factivæ sunt rerum ad extra, sicut præcedenti disputatione late probatum est. Quod autem solum repræsentent res prout pertinent ad hoc universum, et in eo habent esse ab ideis divinis constat, quia naturalis cognitio Angeli est limitata et finita, petitque juxta suam naturam aliquibus terminis claudi, non solum ex parte modi intelligendi, et, ut ita dicam, ex parte modi intentionis, sed etiam ex parte rei cognitæ, seu ex parte extensionis, quia deberet ad omnia possible extendi, et ad infinita: non enim est major ratio quod cognoscat aliquid extra hoc universum, quam omnia saltem divisive, quia intellectus de se ad omne intelligibile extenditur. Et præsertim quia extra universum non est aliqua causa naturalis aut creata, sed tantum Deus; Angelo autem, et cuilibet creaturæ non est connaturale cognoscere objecta sua in Deo, sed in creaturis, et in causis naturalibus, et consequenter pertinentibus ad hoc universum: creatus enim intellectus directe proportionatur, et specificatur ab aliquo creato, et consequenter ab aliqua substantia naturali, quia substantia est objectum intellectus. Et ita si cognoscit aliquam substantiam in se immediate, illa naturalis est; si per suas causas debet esse per causas creatas, et naturales: extra universum autem nihil est præter Deum: ergo neque causæ, neque effectus naturales sunt: ergo nihil ibi est cognoscibile naturaliter ab Angelo.

XIX. Ex his ergo principiis deducitur, quod si Angelus connaturaliter habet species infusas a Deo repræsentantes ipsas naturas rerum, non quomodocumque, sed ut derivatas a Deo, et pertinentes ad hoc

universum, in eoque positas, et connexas, consequenter debent repræsentare tales naturas, prout sunt in aliquo, vel aliquibus individuis, quia sic, et non aliter derivantur res ab ideis divinis (licet etiam pro suo arbitrio possit Angelus uti illa specie inadæquate ad repræsentandam solam naturam sine individuis, vel unum individuum sine alio) sed quia ipsa individua successive fiunt ab ideis divinis in hoc universo, hoc ipso quod infunditur Angelo species repræsentativa rerum secundum quod derivantur ab ideis divinis, oportet quod aliqua individua necesse repræsentet, et non simul, quia sic derivantur ab ideis divinis in hoc universo: ergo si species Angelorum repræsentant res, non desumendo aliquid ab ipsis, sed prout descendunt ab ideis divinis, necesse est quod ex vi suæ repræsentationis, et ex vi quam participant ab ipsis ideis, habeant assimilari individuis, quando fiunt, et participant esse ab ideis, et non aliter. Neque ista repræsentatio seu applicatio ad cognoscendum individuum determinate sumenda est ex ipsis rebus, nisi in quantum sunt termini talis repræsentationis. Unde respectu ipsorum objectorum in se omnino invariata manet species Angeli tam in ipsa repræsentatione formali, quam in applicatione naturæ ad tale vel tale individuum: sed tota hæc repræsentatio, et applicatio regulanda est ex ipsis ideis divinis, a quibus sicut fiunt res in propria entitate, seu in proprio genere, ita fiunt in similitudine, seu specie intelligibili in mente Angeli, ut ex D. Augustino II super Genesim ad litteram, cap. VIII docet D. Thomas q. LVI, art. II et aliis multis locis. Quod ergo species Angeli modo repræsentet aliquid individuum, quod de novo fit, et ante non repræsentaret illud, non est quia non ha-

beret ante speciem potentem in illud individuum, et aliam de novo habeat acquisitam, vel infusam, sed ideo est, inquit D. Thomas, quia res ipsæ quæ fiunt, seu individua ipsa quæ de novo succedunt non assimilantur illi speciei, seu nondum participant naturam repræsentatam ab illa specie, ut dicit in quæstione XVI de malo, art. VII ad VI, id est, non assimilantur illi, nec participant naturam illam ab ipsismet ideis, a quibus sicut producuntur individua in proprio genere, et entitate, ita in assimilatione speciei, non per novam speciem infusam, nec per actionem totaliter novam, sed per determinationem speciei, quæ jam exstebat, quæ determinatio fit in illa, et resultat ex vi primæ infusionis, quia sic infusæ sunt ab ideis, et exemplatæ ab illis, quod acceperunt vim repræsentandi naturam specificam, ut descendit ab ideis divinis in suis individuis; et quia descendit, et derivatur illa natura ab ideis per individua successive, etiam illa species habet vim intrinsecam repræsentandi individua successive, ita quod creato individuo in sua entitate per ideas divinas resultat ex vi prioris infusionis, qua infusæ sunt istæ species ut exemplatæ ab illis ideis, determinatio, et applicatio ad repræsentandum ista individua eorumque existentiam, et durationem, quia sic successive sunt, et derivantur ab ideis divinis; et sic etiam successive assimilantur, et resultat similitudo eorum in speciebus angelicis juxta regulam illam Augustini supra positam, quod quidquid fit a Deo in proprio genere, fit primo in mentibus Angelorum, sed in mentibus Angeli fit a principio per species exemplatas ab ideis divinis, quæ habent vim determinate repræsentandi per successionem temporum individua, quæ fiunt ab ideis, quia id habent in repræsentando,

quod ideæ in causando. Et sicut lapis ex virtute generantis accipit formam quæ toties movetur ad centrum, quoties ab illo extrahitur, et dicitur ratione talis virtutis a generante moveri, non per novam generationem, sed per antiquam hic de novo explicatam, quando tendit ad centrum; et sicut posito fundamento, ex vi talis resultat nova relatio, quoties ponitur terminus, non per novam actionem, quia ad relationem non datur per se motus; sed ex virtute primæ, prout hic de novo determinatur, et explicatur: sic species infusæ ut exemplatæ ab ideis divinis, habent ex vi illius primæ infusionis representare naturam in individuis successive, quia sic successive fiunt ab ideis divinis, et ita toties prorumpunt, et explicantur in representationem determinatam hujus vel illius individui hic, et nunc de novo succedentis, quoties in tale individuum se explicat idea divina causando, quia quod idea divina est in causando pro hoc universo, species Angeli est in representando ex vi suæ derivationis qua exemplatur ad idea divina.

XX. Et moveor ab hoc ita explicandum, tum ex auctoritate D. Thomæ, et modo loquendi ipsius cum D. Augustino; tum ex ratione communi, quia non potest intelligi sine aliqua determinatione intrinseca in specie, de novo representare quod non ante representabat in exercitio; tum ex speciali ratione, quia istæ species angelicæ sunt quædam similitudines exemplatæ ab ideis divinis, et juxta eorum modum in causando accipiunt vim representandi successive individua determinate, quia sic successive fiunt a Deo. Ex auctoritate D. Thomæ id deducitur, quia dicta quæstione XVI de malo, art. VII, postquam solutione ad sextum dixerat quod illæ species intelligibiles sunt similitudines directe respicien-

tes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt, non tamen nisi in quantum participant naturam specierum, quod non est antequam sint in actu, addit solutione ad nonum quod: « Formæ quæ sunt in rebus a mente divina procedentes habent quidem se semper eodem modo quantum ad rationem speciei, non autem quantum ad participationem individuorum, quia quandoque forma speciei participatur a quibusdam individuis, quandoque vero ab aliis; et sic etiam species intellectus angelici secundum seipsum semper eodem modo se habent, sed ex transmutatione individuorum naturalium provenit, quod quandoque assimilatur speciebus existentibus in mente Angeli, quandoque autem non assimilantur. » Quod dicit D. Thomas provenire ex transmutatione individuorum naturalium intelligi debet de transmutatione facta non solum in ipsa entitate rerum, sed in ipso intellectu Angeli, quia juxta regulam supra positam ex Augustino, quæcumque fiunt a Deo in hoc universo, fiunt prius in mentibus Angelorum: non autem fiunt nisi ratione specierum, in quibus datur assimilatio, et representatio ad res quas cognoscunt; et sic licet species Angeli æqualiter se habeant ad præsens, præteritum, et futurum, ut dicit S. Thomas in hac quæstione LVII, art. III, ad III, tamen hoc est quantum ad æqualitatem non accipiendi variationem ab ipsis objectis. Cæterum quantum ad hoc quod est recipere in se aliquam determinationem, seu perfectionem de novo resultantem ex ipsa motione Dei, seu idearum divinarum, id non negat D. Thomas, sed potius colligitur ex immediate antecedentibus in solutione ad secundum, ubi inquit quod in intellectu Angeli est tempus secundum successionem in-

telligibilium conceptionum, secundum quod dicit Augustinus VIII super Genesim ad litteram, quod: « Deus movet spiritualem creaturam per tempus. Et ita cum sit successio in mente Angeli, non omnia quæ aguntur per totum tempus sunt ei præsentia. » Notentur hæc ultima verba: nec enim probat D. Thomas ex successione rerum ad quas terminatur cognitio successiva ipsius rei representationem sine variatione speciei, sed ex eo quod est successio in mente Angeli non omnia dicit illi esse præsentia. Sed non sunt præsentia Angelo omnia, non solum in conceptu, sed neque in specie, quia si in hac essent, possent esse in conceptu: ergo ipsa species impressa successionem patitur: ergo et aliquam mutationem.

XXI. Ex ratione vero hoc idem deducitur, tum generali, tum speciali. Generalis ratio est, quia representatio speciei semper est perfectio illius intrinseca: nec enim per extrinsecam denominationem potest intelligi, quod species representet intellectui aliquod objectum, sed per intrinsecam similitudinem qua intellectum actuat in esse intelligibili: ergo non potest concipi quod illa species aliquid representet de novo, quod antea non representabat, nisi aliqua intrinseca perfectio illi addatur, sive vocetur applicatio, sive modus, sive determinatio, sive explicita representatio, quæ antea erat implicita, aut in actu, quæ antea erat in potentia. Quidquid horum dicatur, vel his nominibus appelletur, non potest significari aliqua denominatio extrinseca in specie, et omnimoda invariatio, quia species ista informando, et actuando realiter intellectum illi representat: ergo si representat aliquid de novo, oportet quod intrinsecam actionem faciat circa tale objectum, quam non faciebat antea:

ergo illud aliqua realis perfectio est. Nec potest dici quod non representat individuum tamquam objectum, et non representatum, sed tamquam aliquid exercitum, vel tamquam conditionem aliquam naturæ representatæ. Nam contra est, quia individuum actu existens est res de novo representabilis, quæ antea non representabatur: cognoscitur enim ab Angelo ut res quædam a se cognoscibilis: ergo ut representabilis, quia id representatur ut res, quæ cognoscitur ut res; Angeli autem individua cognoscunt ut res, sicut quando loquuntur cum hominibus, vel eis aliqua singularia ostendunt, et enuntiant, ut patet in multis locis Scripturæ: ergo talia individua res sunt representatæ, et cognitæ ab Angelo. Ex ratione autem speciali jam supra hoc deduximus quia species angelicæ sunt quædam similitudines exemplatæ ab ideis, ut sæpe docet D. Thomas, ita quod id habent species Angelorum in representando, quod ideæ divinæ in causando. Ergo sicut ideæ divinæ causant naturas rerum in suis individuis successive productis, ita species Angelorum habent vim representandi individua, prout successive fiunt per ideas divinas, ita quod ex vi sua primæ infusionis acceperunt vim representandi ista individua successive, sicut ab ideis causantur in universo, et non aliter, nec ante, et consequenter ex vi talis infusionis habet illa representatio intentionalis in Angelo determinare, et explicare representationem illam ad hoc vel illud individuum, quod de novo fit, quia sic producitur ab ideis divinis; et species illæ sunt quædam sigilla, et representationes idearum, prout in hoc universo producent.

## COROLLARIA EX DICTIS.

XXII. Ex dictis colliguntur tria.

Primum est, quid requiratur in speciebus angelicis ut supernaturaliter repræsentent futura in seipsis.

Secundum, quomodo possint cognoscere præterita quæ transierunt, et nullum sui vestigium reliquerunt.

Tertium, quomodo ratio D. Thomæ efficaciter probet futura ista non posse cognosci ab Angelo, naturali cognitione.

Quoad primum dupliciter potest intelligi, quod repræsententur futura supernaturaliter ipsi Angelo. Primo, mediante aliqua revelatione, seu illuminatione divina clara vel obscura. Secundo, per speciem immediate repræsentativam futuri, non in suis causis, vel in aliqua causa, sed extra omnes illas in seipso. Primo modo non est difficile intelligere quod futura supernaturaliter repræsententur Angelo ut contenta in illa revelatione, eo quod revelatio illa, seu illuminatio proponit Angelo objectum illud futurum ut certo, et evidenter cognitum a Deo in sua sapientia, licet non subjecto modo quo Deus cognoscit, sed pro captu, et intelligentia creaturæ: sicut etiam in illuminationibus quæ fiunt inferioribus Angelis a superioribus, repræsentat superior Angelus id quod cognoscit juxta modum captumque inferioris; et sic percipit illam. Cognoscere autem rem aliquam, ut cognita est a Deo, et in ejus revelatione contenta, est supra modum proprium, et connaturalem creaturæ cognoscentis, quæ solum connaturaliter cognoscit res in suis causis naturalibus, non prout in Deo, vel in ejus cognitione, et revelatione: hæc enim totam naturam superant; et sic supernaturalem reddunt cognitionem, quia supra totam naturam repræsentatur in altiori motivo. Secundo modo potest dupliciter intelligi quod futurum repræsentetur in se in specie, seu conceptu Angeli. Uno modo ly in se ex-

cludente confusam notitiam aut admixtionem alterius rei quæ non est ipsum futurum, quasi non cognoscatur cum alio, aut per aliud, abstractivè tamen: alio modo ly in se dicente terminationem propriam, et intuitivam alicujus rei, ita quod futura videantur intuitive per terminationem ad eorum existentiam physicam, et realem, seu extra causas: hæc enim requiritur ut notitia aliqua sit intuitiva, et terminetur ad rem in se, hoc est in sua existentia extra causas; atque adeo in reali existentia. Primo modo non repugnat abstractivè cognitio repræsentans clare, et distincte id quod futurum est, ejusque existentiam, et durationem nondum nunc præsentem, sed aliquando existituram perinde ac si esset præsens. Quod supernaturaliter potest Deus facere infundendo alicui speciem, et repræsentationem talis futuri distinctam, et propriam, v. g. antichristi, quia individualiter cognoscatur qualis futurus sit. Et erit supernaturalis illa species, non quia rem supernaturalem repræsentet, sed quia modo supernaturali datur, id est, antequam sit debita, et connaturaliter petita a Deo infunditur, quia antequam ab ideis divinis causetur in universo, ejus repræsentatio sigillatur in mente, perinde ac si jam esset, ostendendo tamen quod nondum est. Nec est major difficultas in intelligendo, quomodo species illa repræsentabit clare, et distincte rem futuram, licet abstractivè, quam in intelligendo quomodo species aliqua repræsentat rem præteritam clare, et distincte, et tamen abstractivè, quia non existit, nec existentia sua terminat cognitionem; sic potest Deus eandem distinctam claramque repræsentationem de re aliqua futura imprimere, manente tamen abstractivè terminatione, non intuitiva.

XXIII. At vero loquendo secundo modo, repugnat quod infundatur alicui species intuitiva futuri, ita quod existentia ejus in se terminet cognitionem, nisi cognoscens eleveatur ad attingendam eam mensuram in qua est existens tunc quando cognoscitur intuitive. Non est autem existens, nunc si cognoscitur futurum existentia propriæ mensuræ, quia propria mensura futuri est tempus nondum existens in actu, sed in potentia, et successione partium: ergo qui respicit futurum pro illa parte temporis in qua producet, non potest nunc ante illam partem temporis terminare ut præsens in actu, sed ut præsens in potentia, atque adeo ut præsens in aliqua causa, et non in seipso in actu: ergo per seipsum non potest intuitive videri. Quare ut videantur futura intuitive ante quam sint, oportet quod eleveatur cognitio ad intuendam rem in aliqua mensura in qua jam sit existens in actu, et non in potentia, et hæc est æternitas, extra quam nulla alia mensura creata potest continere rem aliquam præsentem, antequam in propria mensura præsens reddatur, quia nulla alia mensura creata est causa ipsius esse rei, et propriæ mensuræ ejus ambiendo, et continendo illam tamquam principium a quo derivetur, sed solum potest concomitanter illi coexistere, licet in se sit perfectior, et immutabilior mensura, non tamen tamquam principium, et ratio alterius. Ad hoc autem ut aliqua species repræsentet rem ut existentem in æternitate, quidam dicunt necessariam esse visionem beatam, quæ æternitatem videt, et res in æternitate existentes. Alii existimant etiam extra Verbum videri posse res cum existentia in æternitate, non quidem videndo ipsam æternitatem in se, sed in quadam participatione æternitatis, seu in æternitate participa-

ta, quæ est mensura rerum supernaturalium in seipsis, et præsertim cognitiones earum prout sunt derivatæ a Deo auctore supernaturali, ipsumque in quantum operantem supernaturaliter repræsentare possunt; et sic aliquam æternitatis participationem manifestare. Sed tamen hoc difficultate non caret, quia si non videtur æternitas ipsa in se, et continentia ipsa futurorum, ut est in ipsa æternitate, non potest videri nisi in aliquo effectu creato, seu in aliqua operatione Dei ad extra: quidquid enim non videtur intra Deum, videri debet ad extra in aliqua creatura. Hoc ipso autem quod videntur futura in aliquo creato, non videntur ut præsentia, realiter in se, quia solum in æternitate præsentia sunt, non autem in aliqua mensura creata, vel effectu creato. Dicere autem quod videatur futurum in se, sed non mensura, in qua est præsens, implicatorium est, quia si videtur in se, videtur in aliqua duratione, et præsentia: ergo et in aliqua mensura, sicut non potest videri res præsens in tempore, et non tempus ipsum. Et sic valde difficile defendi potest quod extra visionem beatam per quam videtur æternitas in se, futura possint intuitive cognosci; de quo tamen latius tractari solet tertia parte, quæstione undecima, circa scientiam infusam Christi Domini, an per illam cognoverit futura intuitive.

XXIV. Quare dicendum est quod ad cognitionem futurorum supernaturalium sufficit revelatio, vel repræsentatio clara, et distincta ipsius futuri modo abstractivo. Cognitionis autem, et repræsentatio singularium secundum quod descendunt ab ideis divinis unumquodque in suo tempore, et in sua propria mensura, non potest repræsentare illa certo, et determinate, sed solum prout sunt in suis causis, in quibus certo,

et determinate non continentur : quia antequam producantur, solum sunt positæ ab ideis divinis in virtute causarum, non in seipsis. Repræsentantur certo, et determinate quando de facto derivantur a Deo, et producuntur extra causas, et tunc etiam speciem ipsam Angeli determinat Deus ex vi prioris infusionis, et immutat ad repræsentandum determinate, et applicate hoc individuum, ut diximus. Quod si supernaturaliter repræsentat futurum, efficiet Deus, seu movebit, et applicabit hanc speciem ad repræsentandum hoc individuum antequam illud entitative producat cum connotatione non existendi in tempore præsentis, sed in tempore successivo, et hoc supra debitum naturale est sic repræsentari.

XXV. Unde sequitur quod licet Angelus in suo esse mensuretur mensura ævi, et similiter species quæ in illo est quantum ad suum esse entitativum eodem ævo mensuretur, quia incorruptibilis, et inamissibilis est, tamen exercitium ipsum repræsentandi quantum ad singularia, quæ successive fiunt non mensuratur ævo, sed tempore, quia hoc regulatur, imo penes modum essendi ipsius speciei, sed penes modum quo ipsa objecta repræsentabilia sunt : repræsentantur autem secundum ordinem quo descendunt a Deo; descendunt vero ab ipso per tempus successivum, non per ævum; et sic Deus movet creaturam spiritualem per tempus. Addo quod etiam res illæ quæ coexistunt aliquo instanti angelico, quando correspondet diversis partibus temporis, v. g. si correspondet uni horæ vel uni diei, non possunt cognosci ab Angelo in vi illius instantis sic extensi quamdiu non producuntur in ipso tempore, sed adhuc correspondent parti temporis futuri, v. g. si operatur Angelus operationi

indivisibili correspondente tempori unius diei, non potest attingere in principio illius instantis ea quæ futura sunt in fine diei, et adhuc sunt futura, quia licet illud instans sit indivisibile coexistens omnibus partibus temporis illius diei sine divisione, et mutatione sui entitativa, non tamen indivisibili applicatione, et mensuratione omnibus rebus, et partibus temporis succidentibus coexistit, sed prout illa in se producuntur, et exeunt, quia in se non continet actu, neque causat ea quæ successiva sunt indivisibili et immutabili modo, sine ulla potentialitate, sicut æternitas, sed solum coexistit illis quando res ipsæ producuntur, non ante, quia hoc est proprium æternitatis.

XXVI. Quod ad secundum dicimus quod res præteritæ ordinis naturalis, seu de his quæ pertinent ad spheram et propriam intelligibilitatem Angeli cognoscuntur ab illo, si quando præsentia erant, ea cognovit, vel si aliquem effectum aut vestigium sui reliquerunt, abstractive tamen illa attingit. Si autem, quando præsentia sunt, ea non cognovit, neque aliquod sui vestigium reliquerunt, non possunt ab Angelo cognosci, sed reputari debent respectu illius Angeli, perinde ac si nunquam fuissent præsentia.

XXVII. De prima parte conclusionis non est dubium inter auctores, quæ enim cognovit Angelus quando præsentia sunt, etiam transcurrentibus cognoscere potest, quia in memoria manet; si enim nos possumus recordari præteritorum, quia de actibus nostris recordamur, et de his quæ fecimus aut vidimus, quanto magis Angeli, qui superioris intellectus, et scientiæ acumine vigent. Et similiter si in effectu aliquid præteritum remaneat, in illo tamquam in vestigio manifestari poterit: sicut enim causæ manifestant

suos effectus, ita effectus causas: si enim nos in effectibus et ex effectibus causas cognoscimus, a fortiori Angeli. Certe Angeli congregabunt electos a quatuor ventis, ut dicitur Matth. xxiv, et cineres ipsos ex quibus corpora sanctorum resuscitanda sunt, colligent, quod stare non potest nisi in aliquo effectu eis innotescerent præterita, scilicet in cineribus illis, homines ad quos illa corpora spectant. Et universaliter in quocumque repræsentativo alterius potest Angelus agnoscere id quod ibi continetur: ergo potest in quocumque effectu, vel signo, aut testificatione relicta, rem præteritam cognoscere. Quod vero abstractive tantum ea attingant, et non intuitive patet, quia talis præterita in se non existunt, neque præsentia sunt: ergo per se, et in se non terminant notitiam, sed ut absentia, et in alio ut in effectu, in signo, in memoria, et recordatione, ergo abstractive. Nam etiam res quæ in memoria cognoscuntur, non videntur per conceptum immediate terminatum ad rem extra, sed terminatum ad rem, ut depictam, et assimilatam in imagine, seu in specie, quæ relinquitur in intellectu repræsentante rem illam, non absolute, sed ut aliquando cognitam, et expressam in conceptu, et hoc modo illam repræsentare, recordari est.

XXVIII. De secunda parte est major difficultas, cur videlicet non possit Angelus rem præteritam, quæ omnino transivit sine ejus advertentia, et nullum jam ejus extat vestigium, v. g. volatus avis in aere, aut natationis piscis in mari olim factæ, modo cognoscere, supposito quod in nostra sententia ex ipsis ideis divinis, et ex earum infusione nascitur determinatio speciei Angeli ad tale individuum, non ex advertentia ipsa rationis. Illa autem determinatio semel posita in specie

non evanescit ex se, neque conservatur ex advertentia Angeli, quia omnino extrinseca est ut conservet vel destruat determinationem factam in specie: ergo etiamsi non advertat, vel cognoscat Angelus tale individuum, poterit ex specie illa, quæ jam semel determinata, et completa fuit, tale individuum cognoscere etiam postquam transivit.

XXIX. Propter hoc p. Vasquez hic disp. cviii, capite ultimo, tenet quod potest Angelus hæc præterita cognoscere sive sine speciebus in sua sententia, sive positis speciebus in sententia communi, quia nulla invenitur ratio, ob quam id non possit, cum species naturales ea repræsentent præsertim posita illa determinatione, et complemento earum respectu singularium quæ de novo producuntur: quam determinationem, et complementum ponit Deus in illis speciebus hoc ipso quod singularia producuntur, etiam antequam Angelus id advertat, quia ad hoc ut advertat præsupponi debet illa determinatio, sine qua ad tale singulare non potest adverti: ergo illa repræsentatio, et determinatio non dependet ab advertentia rationis, quia ante illam est, et sic etiamsi non advertat, et res prætereant, potest illam cognoscere ex vi talis repræsentationis. Et patres solum negant Angelis futurorum cognitionem, non præteritorum.

XXX. Nihilominus oppositum est communius apud theologos, de quo videri potest p. Suarez lib. ii de Angelis, c. xii, ubi eam docet contra Vasquez citatque pro se Zumel, et Pesantium: et favet D. Thomas in hac quæstione lvii, art. iii ad iii, ubi indifferenter proponit argumentum de futuris, et præteritis, et tamen sanctus doctor solum res præsentis dicit cognosci ab Angelo, quia habent naturam per quam assimilantur speciebus angelicis: ergo de